3394.












No 3394.
M Tischer fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

NVPTIIS THOMÆ FINCKII D. P. M.

ILLVSTRISS: CIMBRORVM DVCIS PHILIPPI, Medici

ac

SOSTRATAE IVARINAE Iuari F.

Amici gratulabantur

SLESVVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

M D XC.

Ergone nil poterant, Musis gratissime Fincki:
Laus patriæ, medici gloria magna chori:
Ergone nil poterant opis aut afferre medelæ.
Quos erat à teneris noscere cura tibi:
Hippocrates, Celsusq; Paulus & Auicenna, Galenus.
Nobilitatq; alios quos medicina viros:
Sic est: nil poterant opis aut afferre medelæ:
Nec poterant ignes arte leuare tuos:
Nec poterant licet innumeræ uirtutibus herbæ
Eximijs celebres: arte opus est alia:
Arte opus est alia, quam quæ tua docte Machaon:
Exposcunt aliam vulnera cordis opem.
Attulit hanc, cui resq; tuas vitamq; solebas
Commendare pias ingeminando preces.
Is suspirantis gemitus respexit, et herbam
Porrexit notam non reor ante tibi.
En tibi, ait, medice hanc medicinam suscipe nympham:
Quam decorant pietas, gratia, forma, fides.
Hæc tibi decreta est multis è millibus una:
Hæc est: hæc medicas afferet una manus.
Nec minus illa tuam scio flagitat vsta medelam:
Illi tu medicus: Sit medica illa tibi.
Sic medico medicina data est, Deus extitit autor:
Et medicum reperit saucia Virgo suum.
Mutua, res mira est, affectio, mutuus ardor:
Mutua spes, gemitus, mutua cura, quies.
Gratulor ergo tibi sponse ò doctissime Thoma:
Quod medicus medicas nactus es ipse manus:
Gratulor inde tibi sponsa ò lectissima Sostra:
Quod medica es medicum, res bona, nacta tuum.
Et nunc sponse tuam curabis suauiter ægram:
Aegrum curabis sponsa venusta tuum:
Par bene compositum iucundi viuite: et olim
Viuite cælestes post pia fata dies.

At tu summe parens, autor qui fœderis huius:
Tu faustum et felix, quod facis, esse velis.
Hos tua coniunxit quia gratia: gratia seruet
Hos tua: causa omnis gratia sola boni.
Est opus hocce tuum, tua vis, tua certa voluntas:
Non operi poteris sat scio deesse tuo.

M. Iacobus Fabricius Ecclesiastes & Præpositus Gottorp.

ALIVD.

Ergo diu vastum quæ peruolitauerat orbem
Finckius in vinclis capta tenetur auis:
Quem non Italia, et quem non Germania cepit:
Cepit ad oceani Virgo pudica latus.
Cepit et in gremio mirando fune ligauit:
Cepit et ô gratam Sostrata cepit auem.
I nunc et temerè captis illude poetis:
Finckius in vinclis cautior hæret auis.
Audieram nostrum coniectum in vincula Thomam:
Horresco. at tacito murmure amicus ait:
Pone metum, nec enim tam vincula dura fuerunt:
Vincula, sed Veneris vincula sponte subit.
Vxorem ducet Venerem, castamq; Mineruam
Vincula & hæc paridi non onerosa forent.
At bene habet, blandis auibus sua vincula prosunt:
Hospitibus prosunt vincula & illa suis

ALIVD.

Zuzu-

ζυζυγίη ζυγὸς ἡδὺς ἔη: καλὰ πολλὰ δίδωσι
Διττοῖς ὧν δὲ νόους εἷς συναγείρει ἔρως
ζυζυγίη ζυγὸς ἀργαλέος: κακὰ πολλὰ δίδωσι
Διττοῖς ὧν δὲ νόους οὐκ συναγείρει ἔρως
ζυζυγίη δὲ ὅπως ὑμῖν ζυγὸς ἡδὺς ἔσοιτο
ἐν χριστῷ ἔσω φρὴν μία εἶστε ἔρως.

M. Iohannes Seger Vicarius
Bardouicensis.

ALIVD.

PEctore vulnus alis, THOMA: sed vulnus amoris,
Virgo quod in tenero pectore fecit, alis.
Quære tibi medicum: serò medicina paratur:
Vulnera cum longis invaluêre moris.
Sed medicos alios, nec non medicamina quære:
Quam RHASIS, aut MESVE, quamue GALENVS habet.
Hi licet attulerint cunctas de montibus herbas:
Sanabunt nulla vulnus amoris ope.
Quis poterit tantos igitur lenire dolores:
Nulla sit in medicis cum medicina tuis;
SOSTRATA sola tuos poterit lenire dolores;
Solaq; languenti ferre salutis opem.
Hæc ubi te niueis circundabit una lacertis:
Atq; columbinis morsibus ora premet:
Continuò toto fugiet de corpore morbus:
Protinus, æger eras qui mòdo, sanus eris.
Tolle moras igitur: nocuit mora semper amori:
Sunt morbis minimæ, maxima damna moræ.
At si, quam tulerit nisi SOSTRATA, fortè salutem,
Non erit ulla salus; non erit ulla salus.
Haud etenim volet illa preces audire, rogata:
Aure tuas surda sed bibet illa preces;

Posset, si vellet: nolit, cum possit, opinor:
Te magis ut cruciet: subleuet atq; minus!
Non ita. sed faciet: tibi spondeo: fæmina namq;
Aut amat, aut odit: tertia nulla via.
Ast hæc certa sui dedit argumenta fauoris:
Velle juuare scio: posse iuuare puto.
Nam quod vulnus habes, habet hæc quoq;: compare flamma,
Et simili telo saucia corda gerit.
Ergo lubens aliqua morbi te parte leuabit:
Alternasq; volet sustinuisse vices.
Nam si quæ fecit tibi vulnera, vulnera sanet
SOSTRATA: te sospes sospite semper erit.
Tu modo tu votis illam superasse labora:
Si te fata trahunt, hanc quoq; vota trahent.
Quod si forte neget, benè spera. Nempe quod hora
Matutina negat: Vespera sponte dabit.
O genium, genium magno vel Apolline dignum!
O admirandum Virginis ingenium!
Hæc eadem vulnus facit: & medicamina præstat!
Ex uno morbus fonte salusq; fluit?
O dextram medicam, quæ tam sit docta mederi:
Hanc medico dignam quis neget esse viro?

ALIUD.

Esse quid hoc dicam, mi frater: tune sororem
Legitimo jungis sponsus amore tibi?
Nec te deterret jus, consuetudo, pudorq;:
Nec benè facta DEus qui videt atq; malè?
Dijs erat hoc licitum: sed non mortalibus, ergo
Pulsus in exilium dicitur esse CIMON.
Num peccas igitur, peccas, ducendo sororem:
Aonij THOMA fama decusq; chori?
Non, non, crede mihi, peccas sed jure SORORUM
Legitimo iungis sponsus amore tibi.

Nam

Nam quod fata volunt, sic fiat oportet: amorem
Conciliat castum, non nisi castus amor.
Iunctus es ergo volens, fatoq; volente, SORORI:
Illa volens fato iuncta volente tibi.
Quos æther junxit, tellus disjungere tentet?
Seu siet hic frater; seu siet illa soror?
Non puto. sed fato, fato connubia fiunt:
Quæ fato venit copula, sancta venit.
Felices ergo, tali vir virgine: tali
Virgo viro: quamuis frater hic, illa soror.
Ne dubites: aderit vestro DEus æquus amori:
Cum fato juncti sitis vterq; Dei.
Hic est, hic, primos qui sub juga duxit amantes:
Hic una geminos viuere carne jubet.
Hic facit, vt plantis vitæ sint signa jugalis:
Nam pendens vlmo vitis, imago thori est.
Non benè stat viduo vitis quæ nascitur agro:
Nec jacet in viduo sat benè virgo thoro:
Vlmus amat vitem: vitis sed pendet ab vlmo:
Id benè cum sciret, vos bene junxit AMOR:
Ast non junxit AMOR fœdus: face cinctus, & arcu:
Iunxit ab æthereo numine missus AMOR.
AEthereum numen, num nomen inane putamus?
Numine cepit opus: numine cedet opus.
Tu modò ceu vlmus vitem complectere: vitis,
Pendeat à collo SOSTRATA cara tuo.
Te colat vt patrem: redames hanc, matris ad instar;
Sis illi frater: sit soror illa tibi:
Sit soror & conjunx, vita tibi dulcior ipsa:
Aut si quid vita dulcius esse potest.
Par benè compositum, jucundam viuite vitam:
Et superet Pylios vestra propagodies.
Concordes Titan, concordes Delia cernat:
Quos ita concordi junxit amore DEus.

Vna

Vna fides vobis: mens vna: sit vna voluntas:
Mutetur nullo tempore vester Amor.
Quid loquor? hei ignosce mihi: mea dicta recanto:
Mutatur nullo tempore verus Amor.

ALIVD DE NOMINE SPONSAE.
SOSTRATA IVARI
Anagrammat:
ROSA STAT IVARI

QVæ modò floruerant, viden vt periere roseta?
Sola sed IVARI STAT generosa ROSA.
Omen id est THOMA. cum sit rosa grata rosarum:
Cum flos sit florum SOSTRATA cara tibi:
SOSTRATA perpetuò floret: florebit et ipsa:
Seu Ver, seu AEstas, seu tibi currat Hyems.
Semper habes, quod ames: quod amas, te semper amabit;
Et pariet tibi, quod semper amare queas.
Nempe rosas multas, pariet tibi lilia multa:
Lilia filiolos, filiolasq; rosas.
O te fœlicem, quæ te noua gaudia tangent:
Talia cum cernes pignora conjugij?
Est lectus, luctus: sunt grandia tædia, tædæ:
Est graue conjugium, quin, sine prole, iugum.
Ergo CERES agros, hortos POMONA venustet:
At generet pulchras SOSTRATA pulchra rosas.
Quid fore crediderim tibi vel jucundius unquam?
Quid magis acceptum: vel quid amabilius?
Dulce quidem germen, fructus sed dulcior ipse
Conjugij: fælix quem satur usus alit:
Et te fælicem, THOMA: cui cernere germen
Nunc datur: at fructus cernere mox dabitur,

Verba

Verba ſed hæc, inquis, ſunt ſomnia. ſomnia ſunto:
Interdum magnum ſomnia pondus habent.
Eveniant igitur ſi ſomnia: credere fas eſt:
Si non eueniant: credere velle nefas.
Evenient autem. dixit mihi namq; futurum
Vates, num vates dicere falſa ſolent?
Tu modò tu lætus, THOMA, cole læta roſeta:
Irrita, crede mihi, non mea dicta cadent.
An non hanc ſortem tibi gratuler, optime THOMA:
Sorte licet multum diſcrepet illa mea?
Gratulor hanc certè: mecum gratantur eidem,
Cum pueris juvenes, cum ſenibusq; viri.
O quam, poſt varios vitæq; viæq; labores,
In medijs tandem dulce quieſse roſis.

ALIVD.

ECquid adhuc duplici correptus febre laboras,
O animæ, THoma, viua medulla meæ?
Eſt amor ignis edax: eſt ignis febris anhela:
At te torret amor: torret et ipſa febris.
Quid tibi vis gemina, frater cariſſime, flamma?
Vnus num contra moveris arma duos?
Non tibi conſultum: noli pugnare duobus:
Diſcedat membris ille, vel illa, tuis.
Quidfacies igitur? flammas exſtinguito flammis:
Quam malè te febris, tam benè torret amor.
Nam major ceu lux obfuscat luce minorem:
AEtheris ut noſtro grandior igne flagrat.
Sic febris ardorem, calidi vis vincit amoris:
Ignis hic eſt igitur major: at ille minor.
Ergo minor cedat majori: febris amori
Cedat: et in membris flagret hic uſq; tuis:
Flagret: & ardentes etiamnum duplicet æſtus:
Seruet inexſtinctas ut tibi corde faces.

Sed simul in sponsæ, sponsæ flagret ille medullis?
Mutuus ut sponsam torreat igne calor.
Hoc jus, hoc fas est: flammam quæ moverit in te,
Hanc tecum flammam participare parem.

Idyllion de Fringilla.

FRigillam audierat, maternis fortè sub hortis,
Virgo decens forma: virgo pudore decens.
Dum sedet, & cantu secum fritinnit amœno:
Carmine cara Deo: carmine cara Duci:
Cepit avem, niveis virgo complexa lacertis:
Atq; sibi propriam deniq; fecit avem.
Quid faceret? pugnet blanda quis virgine pugnet?
Non decet ingenuas ungue notare genas.
Finckius ergò volens captus, sed virgine captus,
Fit victus subitò: qui modò victor erat.
Cur ita? pugnabat, tanquam qui vincere nollet:
Callidus ô causæ proditor ipse suæ.
Hæc illum, hic illam cepit, complexibus arctis:
Sic grato vinclo vinctus uterq; fuit.
At miserum est, vinclis vinctum servire puellæ:
Ingenuus genius vincula serua fugit.
Qu d vero miserum? fatumne beatius ullum:
Quam tali volucrem virgine posse capi?
In re quæ placeat tibi, si sis servus oportet:
Quid tum? liberius nuncubi servitium?
At nec servus eris. Servus, qui seruiat, esto:
Si tibi sis Dominus: non puto servus eris.
Iuris es ipse tui: nil cogeris: accipit illa,
Quod das sponte tua: Iuris & ipsa sui.
Ergo haud dedecori, tibi sunt sed vincla decori:
Vincas, vincaris: sat scio, victor eris.
Talibus haud igitur, Fincki, te viuere vinclis
Sit graue: non adeo nam graue pondus erunt.

Sed

Sed nec pondus erunt. Onus est sine lege reuinctus,
Non onus est, sed honos; lege reuinctus amor.
O fælix virgo, tam suavem nacta volucrem:
Quæ releuet curas nocte dieq; tuas.
O fælix Fincki, vinclis qui virginis hæres:
Sic tamen; vt vinclis hæreat illa tuis.
Ambo fælices, fælicem vivite vitam:
Exemplum læti nobile conjugij:
Vivite turturibus similes, sic pectore juncti:
Vt nihil in terris junctius esse queat.
Nam fatum vinclo quos vinxit firmiter vno:
Hos, præter fatum, soluat in orbe nihil.

M. Paulus Sperling, Rector
Scholæ Flensburgensis.

ALIUD.

ECquid laurigeræ nouem Sorores
Queis æterna comes fuit sacratæ
Fides intemerata castitatis,
Bellè conueniunt et vni et eidem
Per nouem caput extulisse Musas
Et flammas rapere intimis medullis?
An quæ præsidet artibus Minerua
Vnquam signa Cupidinis sequuta est?
Bellè hæc conueniunt et vni et eidem:
Insomnes operosa namq; noctes,
Et duros studia exigunt labores,
Quorum præmia ni forent parata,
Et solamina recreationum,
Num quis Hesperidum subiret hortos,

Mala peruigili auferens Draconi,
Vel casus alios periculorum:
Nimirum hoc animis onus repostum
Sat durum hactenus, ô beate Musis
FINCKI, qui retines habesq́ clarus
Summos judicio potente honores,
Iustè si prius hos petiuit ullus
Iustè tu gaudes tibi tributis.
Quin et sollicito labore fesso,
En solatiolum tibi laboris,
En solatiolum tibi doloris,
Mille quæ tibi recreationum,
Et tot mille datura basiorum,
Dum dulce os oculosq́ suauiaris:
Bellè hæc conueniunt & vni & eidem:
Hos tu nuper amabiles amores
Terens in gremio, vnice ô ocelle,
Inquis, perditè amo, atq́ amare porro
Te sum perpetuos paratus annos.
Quin si fata Dei volent benigni
Vt lecti sociam petam iugalis,
Te lecti sociam petam iugalis.
Dixti, quum subitò Dei voluntas
Dextram subdidit adprobationem.
At toto pudibunda virgo vultu
Te fulgentibus intuens ocellis.
Et comptum leuiter caput reflectens,
Sic inquit: mea vita, quod parentes
Hic nostri statuent, pie sequamur,
Et tibi Domino vsq́ seruiamus:
Hæc vt dicta dedit, Dei voluntas
Dextram subdidit adprobationem.
Nunc flammam auspicio nouo auspicati,
Mutuis animis amant, amantur:

Vnam

Vnam Sponsus amore amabilem vnus,
Vnum Sostrata vult & vna Sponsum,
Vni nupta nouo nouella sponso
Dabit delitias cupidinesq;
Mordaces animi leuansq; curas,
Cum desiderio sui nitente.
Belle conueniunt & vni & eidem
Per nouem caput extulisse Musas,
Et flammas rapere intimis medullis.
At tibi hendecasyllabis minutis
Hæc solamina recreationum,
Sponse, castalidum decus sororum,
Grator ex animo precorq; fausta:
Vt tibi benè sit beate Sponse,
Et tibi benè sit beata Sponsa.

πρόβλημα.

QVæritur: an præstet formosam ducere? an omnis
Formæ indigentem Virginem præstantiæ?
Sunt, quibus hoc tutum magis est: quod splendida mille
Iuueni modis infesta forma appareat:
Non rarò inuitum in cæcum protrudat amorem:
Intemperatam concitet libidinem:
Mentiq; ingentes curas ferat infelici:
Ni sæpè ad impium furendi quam modum
Sollicitet. nec enim aureolam spectabis inultus
Comam, quæ edaci sæuit igni fortius;
Ecce & distantes potis est accendere visa;
Cum vera semper postulet tactum vstio.
Nec te perpetuo pascet viden omnia in horas
Mutarier, blandumq; non consistere
Florem, letifera febri, curuaq; senecta
Instantibus? quæ vbi hispidam celerrimè

Fecerunt faciem, atq; albo pallore notarunt,
Friget Venus; quæ pulchra te oblectauerat.
Quamuis hoc etiam deformibus accidat: esto:
Antiquum at obtinetur hic tamen: quia
Principio minimè formam spectabat amator:
Quî pallidam curuamuè ergo propelleret?
Sæpè procos mendax decepit fucus, apertè
Quem delicatam somniarant purpuram.
Quod postquam edocti sunt experientia; iniqua
Cum fœmina diem terunt miserrimi.
Interdum non est (fateor) fallacia, quando
Natiua resplendet coma, & viuus color.
Sed tunc se nulli nimium fecisse sodalem
Oportet, aut priuata fiunt publica.
Sunt qui luciferæ propugnant serta Dianæ,
Et Cypriæ coruscum Virginis iubar:
Quod magno vultus sit lacteus ornamento
Puellulæ: ceu robur imprimis viro:
Quod mirè oblectet cunctos Venus aurea sensus:
Sint corporis bona, forma, vires, sanitas:
Sit suauissima Dijs: longè gratissima mundo:
Nunquam molesta possidenti: cuilibet
Obuia: diues amicorum: peramabilis in se.
Ne dixerim, nodos capillorum aureos
Aetherea ex anima descendere, quam nequeat quis,
Graues nisi pœnas daturus temnere.
Quid verò facias? Noster quod FINCKIVS, ille
Hanc SOSTRATAM ludens prehendit dextera
Nympham, quæ Charites læto splendore decentes
Adumbrat, & viuam refert imaginem
Icaridos. (siquidem in teneris consueuit honestæ
Studere vitæ, patre laudatissimo
Edita) sic equidem nitidam concedit adire
Piè & modestè Virginem; sed splendidam

Virtu-

Virtutum cultu quoq; : nè quem forma molestet,
Quæ sola cui donata semper obfuit.
Est quoq; vir tali dignus spectabilis arte
Multa, & sacri phæbi propago aptißima.
O ego non felix, si nigræ vellera lanæ
Delambo; dum Hyblæis licet rosis frui.

Εὐφημίαι.

Sponsis coniugium precor
A quouis uacuum turbine: vt hinc diu
Vitæ participes suæ,
Optatis repleant filiolis domum.

Andreas Lonnerus.